

259

257

263

omnium discipolorum praenunciavit: sermonem dulcissimum et  
longum fecit, et ultimum Vale his suis discipulis pacem reliquit.  
Igitur cum circa locum illum omnia perfecissemus cantando,  
legendo, quae signata erant in processionali peregrinationis  
terrae sanctae, cum gratiarum actione recessimus. Habentur  
enim processionalia, libelli, in quibus omnes versiculi, collectae,  
responsoria signantur et hymni et psalmi circa loca sancta  
legenda et cantanda per omnia loca transmarinae peregrinatio-  
nionis. De his libellis ego comparavi unum pro me, quo usus  
fui in locis sanctis.

253

268

248

308

208

**Lotio pedum ibi fuit facta.**

358

Ad illo loco ad dextram partem chori ulterius processimus  
cum cantibus ad mandatum in die coenae cantari consuetis, et  
ad locum sacrum venimus, in quo Dominus Jesus lavit pedes  
suorum discipolorum post coenam. In hoc est altare pulchrum,  
ante quod prostrati locum deosculabamur, et indulgentias acce-  
pimus(††). Sed precor te dilecte peregrine, ut nec ab hoc loco  
discedas sine praevia contemplatione. Vide et considera hic  
stupendum gestum negotium. Nam Dei filius aeterna divinitate  
potens et genitoria mentis pulchritudine pollens, qui universa  
nullo opitulante subsidio condidit et decoravit, cui omne coelum  
et vagi stellarum motus inserviunt, sub quo, ut ait Job, cur-  
vantur, qui portant orbem, divinam altitudinem adeo inclinavit  
atque deflexit hic in illo loco, ut pedes immundos, foetidos,  
lutosos discipolorum, servorum, piscatorum, peccatorum atque  
proditorum suis ipse manibus dilueret in saluberrimum exemplum.

158

Ende

**De loco, in quo missus fuit Spiritus sanctus Apostolis  
in die Pentecostes.**

Anfang

Consequenter incepit cantor hymnum jocundissimum de  
cantibus Syon: Veni creator Spiritus, mentes etc. Et cum  
illo cantu egressi fuimus de ecclesia in conventum supra  
ambitum, quia ipse chorus et ecclesia sunt supra alia habita-  
cula aedificata, ita quod undique per gradus in ecclesiam  
ascenditur, et de ecclesia supra testudinem clustri vel am-  
bitus circuitur per tres partes quadri. Non enim habet ambi-  
tus nisi tres partes, et quarta pars est ecclesiae murus. Sic

Anfang

